
EPISTOLA
PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

MONOPOLITANUM.



Neapoli,
TYPIS JANUARII PALMA.
MDCCCXLIV.

ALOYSIUS GIAMPORCARO

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR

JAM

EPISCOPUS LAQUEDONIENSIS

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

IN EPISCOPALEM ECCLESIAM MONOPOLITANAM

TRANSLATUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS DILECTIS IN CHRISTO FILIIS

CLERO, ET POPULO SUO

SALUTEM, ET BENEDICTIONEM.

Qua animi alacritate e Siculis patriis oris discedens Neapolim appuli, ut in Dioecesi Laquedoniensi Episcopalis officii partes, licet immeritus, susciperem, jam voluntate Ferdinandi II. utriusque Siciliae Regis, et auctoritate Gregorii XVI. Pontificis Maximi translatus veniam ad vos, venerabiles fratres, et filii in Domino carissimi, eo munere in inclyta Civitate vestra perfuncturus. Manet enim mihi alta mente repositum, Dei omnino esse, opus suum, ad quod operarios assumit, fortunare, et ad terminum feliciter perducere; *non volentis*, sic affatur Apostolus, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei*, et, *neque qui plantat est aliquid*,

neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et profecto homo vanitati similis quid valet in iis, quae utpote altioris ordinis divino duntaxat subduntur imperio, potestate, consilio, et virtute circum ea destitutus! Vah *aes sonans, aut cymbalum tinniens!* Id me hactenus et experientia fateor comperisse. Quis labores in pastorali cura Laquedoniae exantlatos benedictionis imbre perfudit, uberibusque fructibus cumulate locupletavit? Nonne Deus? Cuinam, nisi digito Dei tribuenda illa animorum facilitas, illa in bonis actibus aemulatio, illa cordium consensio, imo plane unitas, quas veluti singulares dotes Cleri, et populi nedum civitatis, sed et dioeceseos persaepe admirabar, et in medio pectoris mei exaratas nec rerum multiplicitas, nec locorum distantia, neque dies aliquando delebit? Hac suffultus spe accedam gaudenter ad vos, Pastoris voce aures vestras percellam, opportune importune urgebo, instruam inscios, imbelles solidare, stantes servare, lapsos erigere, devios reducere, omnium necessitatibus praesto esse, Deo opitulante, studebo, absque ulla haesitatione confidens, me non quasi aerem verberaturum, sed cor vestrum, praevenientibus divinae gratiae auxiliis, fore allocuturum, eo quidem successu, ut magis magisque in Dei timore, et amore proficiatis in dies, donec exuta mortalitate coruscas aeternitatis sedes, plaudentibus civium Beatorum agminibus, scandere mereamini, Summo et Incommutabili Bono facie ad faciem fruituri.

Praeterquam quod specialis erga vos Sanctissimae

Virginis Mariae dilectio, in cujus imagine sub titulo de Madia pluribus abhinc saeculis ad vestra litora sua sponte applicita super tot trabibus ad formam ratis contextis, quot eo tunc ad cooperiendum majoris Templi tectum opportunae erant, perpetui Deiparae muniminis ac tutamenti pignus mirabiliter accepistis; Pontificalis istius sedis splendor, et majestas; haud obscura Praedecessorum series, quorum virtutes, sermonibus peritis superaddentes, saluberrima quaeque pascua gregi praestiterunt; pietas ad quam propensi estis; mores vestri exculti, et ingenui cum singulari erga Praesules vestros observantia conjuncti, haec, dictu difficile, quam suavi me afficiunt voluptate, quantaque vi impellunt, ut confestim ad vos concivis vester advolem, sub umbra sedeam Potentissimae, et Clementissimae Angelorum Reginae, atque sociatis mutuarum correlationum nexibus vobiscum vivam laborum consors, et exoptatae mercedis.

Cum autem magis expedire judicaverim, aliquantisper in hac principe Civitate immorari, ut resumptis viribus queam vestrae utilitati majori studio prospicere, idcirco, ne primordia suscepti ministerii sua faecunditate frustrentur, congruum duxi per hanc epistolam omnibus et singulis, quos mea solicitudo complectitur, cujusvis sint coetus, ordinis, conditionis, et sexus, eam pacem annuntiare, et adprecari, quam Christus amantissimus omnium pastor post suam Resurrectionem Apostolis elargitus est, reiteratis vicibus dicens, *Pax vobis* Joan: XX. eo sane consilio, ut per eos, eorum-

que Successores in alios, ubicunque illorum praedicatio insonuisset, haereditario veluti jure ipsa transmitteretur, quemadmodum refert S. Lucas c. X. *In quamcumque domum intraveritis*, *primum dicite*, *pax huic domui.* Haec illa pax est, quam Christus de coelorum sublimitate secum ipse detulit in mundum, clamantibus Angelis in ortu ejus beatissimo, *et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Haec illa *pax Dei*, quae, dicente Apostolo, *exsuperat omnem sensum* Philip. IV. Haec illa pax, qua Deus accitus descendere, et intra nos inhabitare delectatur, Psalmista testante, *et factus est in pace locus ejus* ps. 75. Haec demum illa est pax, quae nos et Deo, et hominibus, et quodammodo nobismetipsis amico foedere consociat, dum voluntates nostras divinarum, humanarumque legum jugo devinciens Deum nobis facit placabilem, homines benevolos, et cupiditatum nostrarum, a quibus non sine inflictis vulneribus appeti quotidie ingemiscimus, impetum retundit.

Eapropter Spiritus Sanctus laudum praeconia, quibus praedicantium labores non est dedignatus sparsim efferre, merito hac exclamatione concludit *Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem*! cum pax omnium bonorum fons sit, et perpetua origo.

Juvabit interea vos commonere, fratres, et filii, ut perdiligenter conditionem animadvertatis, quam Salvator ibidem adjecit, *Si ibi fuerit filius pacis*, *requiescet super illum pax vestra*, *sin autem ad vos revertetur.* Quibus verbis nos plenissime edocet, neminem posse istius inaestimabilis doni participatione gaudere,

quem veritatis amor, et zelus justitiae non exornet. Hic loci iter tutum nobis ostenditur, quo ad verae pacis acquisitionem ducimur, ut ne, in mediorum electione si fallimur, non pacem, sed falsam pacem, sed tribulationes innumeras, sed acerbissimas calamitates amplexemur inviti. Et re quidem vera quid communius, quid antiquius, quam pacem ubique gentium praedicari, ubique locorum inquiri! Ast nescio, qua pacis specie decepti complurimi perperam arbitrantur, in affluentia opum, in humanae celsitudinis fulgore, in praesentis vitae deliciis, aliisque hujusccmodi pacem haberi; quare nihil intentatum relinquunt, quominus eo perveniant, quò illam capessere praesumunt.

Sed heu miseri! improbis curis, laboribus, et amaritudinibus pene confecti, aut in studiis suis aegro nimis animo deficiunt, aut etiam res concupitas adepti nihilominus vehementissime dolent, se se fugientem pacem irrito conatu jam diu prosecutos, in maximas omnis generis angustias cor eorum dire torquentes incurrisse, ut satius cunctis commodis, honoribus, et voluptatibus carere, quam eo modo angi, afflictarique mallent. Et haec humanae aberrationis, et coactae confessionis exempla quis unquam non propriis oculis usurpavit? Quis non auribus percepit? . . . O quam est veritati gloriosum, saeculi amatores suo demum se judicio damnare! Porro non istiusmodi imaginariam pacem, quam fallax mundus pollicetur, sed evangelicam pacem, veram, aeternam, ineffabilem, quae Deus ipse est, vobis propono, ad quam hominibus bonae voluntatis nec etiam alio fluxo insignitis ornatu patet accessus.

Itaque cavete, ne in re tanti negotii qualicunque erroris laqueo irretiamini. Veritatem diligite, eamque impigre sequimini; justitiae callem strenue percurrite; Sempiternum Dominum dies noctesque pertimescite; vestris muneribus cum publicis, tum privatis sedulam operam navate; et Deus pacis erit vobiscum, qui *confortabit seras portarum vestrarum*, *benedicet filiis vestris in vobis*, *et ponet fines vestros pacem* ps. 147. Haec vobis fausta, ex quo sum in Episcopum civitatis vestrae suffectus, in sacrificiis, et supplicationibus meis a Deo expetere nunquam destiti, ut gaudium vestrum, atque meum semper, et ubique sit plenum, et in nullo deficiat.

Verum si de vobis laetari fuit mihi apprime jucundum, de me tamen (nequaquam mentior) sum formidine comprehensus, gravique maerore. Enimvero cogitanti mihi, et saepe numero animo revolventi, quale onus, quam arduum, quam sublime fuerit cervicibus meis impositum, multae, urgentesque timoris causae undequaque obversantur; terret me vel maxime illud, quod metuebat Apostolus, ne scilicet cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Agitur quippe de excolenda vinea Domini, et de aeterna animarum salute procuranda; ac propterea Episcopus ad ejus vitae genus vocatur, in quo providere debeat bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, et factus forma gregis ex animo totis viribus a dextris et a sinistris contendat, ut qui omnes ipsius vigilantiae subjacent, una secum in justitia ambulent, et in charitate. Quid majoris

momenti! Ex parte altera non me latet infirmitas, et insufficientia, qua laboro, ad tot tantaque munia rite obeunda. Quid periculosius!

Hisce in rerum circumstantiis nil aliud prorsus mihi superest spei, nisi ut peculiaris gratiae Dei adjutorium orationibus provocetur. Quam ob rem pietatis vestrae suffragia enixe implorans vos rogo, et obtestor, ut assiduis apud Altissimum precibus mihi deinceps praesidio sitis, et solamini. Vos, venerabiles Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares, quos cum compello, omnem coelestium gratiarum thesaurum aperio, commemorans in vobis Christos Dei, Ministros Christi Angelis ipsis potestate praecellentes, dispensatores misteriorum ejus, cooperatores magni Consilii reconciliationis humanae, mediatores, et pacis nuntios inter Deum et homines, lumen mundi, et immortalitatis veluti satores, vos amabo in sacrosancto Missae Sacrificio mei agite memoriam, ut id per vos abundantius impetrem, quo vobis vere utilis efficiar. Vos religiosissimae Virgines, castissimae Salvatoris Jesu, et dilectissimae Sponsae, quas hortum Dei conclusum, fontemque signatum, Ecclesiae decus et ornamentum, illustriorem quoque ovilis Christi portionem non immerito quis quis nuncuparit, vos, quaeso, precationes apud Immaculatum Sponsum effundite, ut immisso coelesti lumine, et Divina in visceribus meis caritate succensa, vos in perfectionis tramite, ceterosque in christianae vitae institutis valeam recte dirigere. Vos tandem, clarissimi cives, rogate Deum Patrem Omnipotentem, ut mihi sit in om-

nibus propitius, quae majorem ejus gloriam, vestram, et animae meae sanctificationem respiciunt.

Eja ad unum omnes collaudemus Dominum, et pro Summo Ecclesiae Capite, pro Pientissimi Regis nostri, totiusque familiae Regiae incolumitate, nec non pro invicem, et pro omnibus obsecremus, gratias agentes Patri per Christum Mediatorem nostrum. Patrocinium quoque imploremus Beatissimae Dei Genitricis ac Virginis Mariae, de cujus tutela optimo jure gloriantes inceditis, Protectoris nostri S. Francisci de Paula, S. Mercurii Martyris, sub cujus invocatione Deo est sacra isthaec Cathedralis Ecclesía, et aliorum Sanctorum, qui omnia poscere nobis bona, et mala arcere superna pietate dignentur.

Interim benedictio Dei, quam vobis ex intimo animi affectu impertior, et gratia Domini nostri Jesu Christi sint semper cum omnibus vobis. Valete.

Datum Neapolim die X Julii MDCCCXLIV.